

## Epistola B. Pauli Apostoli ad Titum

---

**Cap. 1** <sup>1</sup> Paulus servus Dei, Apostolus autem Jesu Christi secundum fidem electorum Dei, et agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est <sup>2</sup> in spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur, Deus, ante tempora sæcularia : <sup>3</sup> manifestavit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptum Salvatoris nostri Dei : <sup>4</sup> Tito dilecto filio secundum communem fidem, gratia, et pax a Deo Patre, et Christo Jesu Salvatore nostro.

<sup>5</sup> Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi, <sup>6</sup> si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. <sup>7</sup> Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem : non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum : <sup>8</sup> sed hospitem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, <sup>9</sup> amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem : ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere.

<sup>10</sup> Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, et seductores : maxime qui de circumcissione sunt : <sup>11</sup> quos oportet redargui : qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. <sup>12</sup> Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta : Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.

<sup>13</sup> Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide, <sup>14</sup> non intendentes judaicis fabulis, et mandatis hominum, aversantium se a veritate.

<sup>15</sup> Omnia munda mundis : coinquinatis autem et infidelibus, nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia. <sup>16</sup> Confitentur se nosse Deum,

**factis autem negant : cum sint abominati, et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi.**

**Cap. 2** <sup>1</sup> Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam : <sup>2</sup> senes ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia : <sup>3</sup> anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, bene docentes : <sup>4</sup> ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant, <sup>5</sup> prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei. <sup>6</sup> Juvenes similiter hortare ut sobrii sint. <sup>7</sup> In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, <sup>8</sup> verbum sanum, irreprehensibile : ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. <sup>9</sup> Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, <sup>10</sup> non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes : ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornet in omnibus. <sup>11</sup> Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, <sup>12</sup> erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo, <sup>13</sup> expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi : <sup>14</sup> qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. <sup>15</sup> Hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

**Cap. 3** <sup>1</sup> Admone illos principibus, et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse : <sup>2</sup> neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. <sup>3</sup> Eramus enim aliquando et nos insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis, et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem. <sup>4</sup> Cum autem benignitas et humanitas

apparuit Salvatoris nostri Dei, <sup>5</sup> non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, <sup>6</sup> quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum : <sup>7</sup> ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. <sup>8</sup> Fidelis sermo est : et de his volo te confirmare : ut curent bonis operibus præesse qui credunt Deo. Hæc sunt bona, et utilia hominibus. <sup>9</sup> Stultas autem quæstiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devita : sunt enim inutiles, et vanæ. <sup>10</sup> Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita : <sup>11</sup> sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.

<sup>12</sup> Cum misero ad te Artemam, aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim : ibi enim statui hiemare. <sup>13</sup> Zenam legisperitum et Apollo sollicite præmitte, ut nihil illis desit. <sup>14</sup> Discant autem et nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios : ut non sint infructuosi. <sup>15</sup> Salutant te qui mecum sunt omnes : saluta eos qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.